

IN NOMINE JESU

DISCURSUS PHILOSOPHICUS

Dc.

LIBERO ARBI  
TRIO HOMINIS,

QUATENUS ACTIONES CIVILES

SPECTAT:

In Regia Academia Aboënsi,  
Consensu & approbatione Amplissimæ Facultatis Philos.

SUB PRÆSIDIO

Præclarissimi VIRI,

DN. ERICI FALANDRI,

Græc. & Heb. Ling. Prof. Publ. & Ordin.

Promotoris & Fautoris sui plurimum honorandi:

Pro privilegijs & honoribus in Philosophia summis obtinendis  
publice eruditorum censuræ modestia

PROPOSITUS

MAGNO WIETIO Wisingb: Smol.

Alumnus Regio

In Auditorio Superiori & Maximo, ad diem 27. Junij  
ANNO M. DC. LXXVI.

ABOÆ

Excusus à PETRO HANSONIO, Acad. Typ.

Monf. J. R. D.

ILLUSTRISSIMO ATQ; CELSISSI-  
MO HEROI AC DOMINO

DN. PETRO Brahe/  
Comiti in Wüssingzborgh lib. Ba-  
roni in Cajana/ Domino in Rid-  
boholm/ Lindholm/ Brahelinna &  
Bogesund/ &c. &c. Regni Sve-  
ogothici Senatori supremo,  
Drotzeto & Justitiæ Directori  
Generali, Wesmanniæ, mon-  
tanorum & Dalecarliæ judici  
provinciali, Regiæq; Acade-  
miæ Aboënsis Cancellario  
Magnificentissimo,

*Domino meo ac Patrono Clementissimo*

*Salutem & prosperitatem  
perpetuam.*

ILLUSTRISSE ET CELSIS-  
SIME COMES,  
DOMINE CLEMENTISSIME!



Uod, de benevolentia Vestra Celsitud. sibi  
cives universi solent gratulari: id ego  
minimus subditorum experimento ha-  
beo. Nam cum beneficiorum Vestrae  
Celsitud. in me collatorum recordor, tantum Vestrae  
Celsitud. video me debere, quantum ne votis quidem  
queo assequi. Quod pietatis & artium jecii funda-  
menta, tibi, Celsissime Comes debeo. Tuā enim mu-  
nificentia in Schola Brahaa (quae non nisi V.ā Celsi-  
tud. agnoscit fundatricem) per annos benē multos fui  
educatus & informatus. Quod cœptam studiorum  
in celebri hīc Academiā continuare velui telam, Tuā  
Celsiss: Herois itidem benignitas est, cuius commen-  
daticijs Stipendio Regio sum adiutus. Magna &  
multa sunt, quæ à V.ā Celsitudine prestita mibi mini-  
mo & indigno: Quæ si tacerem, & arcana venera-  
tionis

tionis conscientia me redderem contentum, metum sa-  
cilegij effugere non possem. Qvum ergo in publicas  
erumpam voces, literario studio (cum alias non possim)  
cui me consecravi, Vest. Celsitud. beneficentia suffulta,  
quodammodo gratitudinis aliquod signum ostendam. I-  
raq hocce specimen, quale quale est, humillima subje-  
ctione offero, Ego ad Pedes Clem. Vest. depono: Quod  
si serena fronte: Vest: Celsit: respiciat, omnia me esse  
consecutum putabo. Quod superest, Vestræ Celsitud.  
lenem Ego viridem senectutem, in diutinam annorum  
seriem; ex intimis animi recessibus exopto

## Celsitud. Vest.

Subjectissimus

M A G. WIETIUS.

# PRÆFATIO.



Aldè Impia & perniciabilis fuit  
 Stoicorum sententia, quæ omnia inevi-  
 tabili & absolutâ necessitate evenire  
 statuit, omnesq; actiones hominum, e-  
 tiam pessimas, etiam sceleratissimas,  
 occidio fati adscripsit. Hac autem de-  
 testabilis hominum malitia, non solum  
 in gentilismo, sed & ad huc in gremio & meditullio Ecclesia, suos  
 invenit approbatore, qui omnem libertatem homini in moralibus  
 adinsere, necessitatem Stoicam esse inferis revocare, Deum glorio-  
 sum malorum actionum incitatorem, approbatorem ac effectorem,  
 baud sine horrendo sacrilegio, constituere, non erubescunt. Hac  
 quanta est blasphemia, bonitatem ipsam, cui nihil magis ac ma-  
 lum displaceat, mali ipsius authorem statuere? Ut hoc in Denm es-  
 mendare quædam calumnia; sic eandem falso nobis attribuere  
 non est Veritus Bellarminus: quod nos etiam in civilibus rebus ne-  
 gemus liberum arbitrium. Hinc nos, non solum famosis Stoicis co-  
 natur reddere similes, verum etiam belluas, planè rationis ex-  
 pertes, profiteri non dubitavit. En insignem Injuriam! volvat  
 ac revolvat quis nostrates Theologos, Philosophos; & nos paucos vi-  
 debit, qui illustribus documentis libertatem in rebus moralibus pro-  
 pugnarunt! tolle, inquit B. Meis: Ph. Sob. c. i. q. i. libertatem  
 voluntatis humanæ, & tolles omne virtutis, & studium, &  
 præmium; omnem vitiorum, & culpam, & poenam; o-  
 mnem legum, & promulgationem, & observationem;  
 omnem deliberationem, consultationem, electionem;  
 imò omnem & universam politiam. Nos animum indu-  
 ximus, quām brevissimè exponere, quo usq; voluntas hu-  
 mana in civilibus rebus pertingat. Nihil hic novi, nihil  
 ingenij, nihil politi exspectabis, lector benevole! satis est,  
 n magnis aliquid voluisse, & bonis placuisse.

## POSITIO I.

## Rei tractata nomen Executiens.



Rimūm, & memoriae juvandæ causā, & ut omnis confusio evitetur, nevè lectoribus sensus obscuritas sit molesta, Rei disputandæ certos limites, quos ex naturā materiae nostræ de promere licuit, constituimus. Et si quidem res est amplissima, brevitas verò, cui decrevimus studere, singula vetat momenta perseguī; Contentos nos reddimus Excelletioribus, quæ maximè circa præscriptum terminum solent moveri.

Antequam verus aliquis controversia status definiatur, removenda sunt ea, quæ nostrum propositum non ingrediuntur; quod commode sit per Definitionem Nominalem. Initium tamen faciendum à quæstione, An sit?

Dari liberum arbitrium, nemo negaverit, nisi qui homines in brutorum econditionem, liberos in servos & mercantia mancipia commutare velit. Comprobat id rerum Magistra Experiens, cum cuivis facile obvium sit, in potestate hominis esse, agere vel non agere. Hoc privilegio si non instructus esset homo, omnes deliberationes, leges, preces, præmia, supplicia essent frustranea, indebita & iusta.

Communis sententia est, nomen arbitrij descendere ab arbitrando. arbitrari autem non solum significat, estimare, opinari, judicare, &c. Sed & in genere, potestatem, potentiam, facultatem & electionem significat, ita ut pro ipso Velle haud raro ponatur. Per vocem liberi intelligere volumus libera illam voluntatis potestatem eligendi & repudiandi, & sic cum arbitrio in unum quasi coalescit nomen.

Est autem hoc vocabulum Liberi Arbitrij valde malius, & nun-

& nunquam recte cognosci potest, nisi prius ipsius significatio diligenter fuerit excussa. accipitur 1. pro *raente voluntate*, pro ut sunt facultates animæ. 2. pro *ipsâ inclinatione*, quâ voluntas mota appetit id, quod appetit; quo sensu dicunt, voluntatem habere liberum arbitrium, etiam si nihil nisi mala velit. 3. pro *libertate in Spiritu libibus*; quâ homo se possit ad gratiam Dei præparare, præcepta Dei quoad substantiam implere, & similes actus spirituales edere: atq; hoc sensu, Orthodoxa Ecclesia verissimè dicit, liberum arbitrium post lapsum nihil esse, quam signatum. 4. Pro *libertate in externis, & civilibus rebus*; & hoc modo, tripliciter sumitur, 1. Ut opponitur servituti; diciturq; illud liberum, quod alteri non est subjectum; sic Libera Civitates appellantur, quæ nulli Regi vel Principi serviunt. 2. Ut opponitur Coactiōni seu violentia; quo modo omnia liberè agere dicuntur, quæ sponte vel naturali inclinatione agunt; Ita liberè & non coactè vagantur va- lucres in aere, pisces in mari, &c. Et deniq; 3. Ut opponitur *Necessitate*; Et sic liberè agere dicuntur, quæ positis ad agendum omnibus requisitis, possunt agere & non agere, agere hoc & agere illud. Hanc ultimam acceptiō nem nos impræsentiarum attripimus.

Voces æquipollentes, præter terminum receptum, maximè in usu sunt, Arbitrij libertas, Voluntatis arbitrium &c. quas authores pro lubitu retinent. Explicata sic nominis Interpretatione, antequā ejus naturam ulterius indagamus, Realem aliquam Definitionē exhibere conabimur.

#### POSITIO II.

*Definitionem, ejusq; avulvōn breviter exhibens.*

Liberum arbitrium est potentia animæ rationalis, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere, agere hoc & agere illud.

Cum definitum ipsum, quoad vim vocis, in primâ positione sit explicatum, omissis aliis definitionibus, quæ maximâ ex parte sunt vitiolæ, partim quippe impropriæ, partim nimis angustæ, partim nimis latæ, quas passim apud authores reperire licet, nobis exhibitam placuit retinere. Generis loco ponimus *Potentiam*, quæ est vis quædam naturalis agendi. Tria sunt in animo, docet Aris. 2. Eth. 5.  
1. Potentia. 2. actus, & 3. habitus: unum horum erit liberum arbitrium. Quod non sit *actus*, probatur ab absurdô; quia dormientes tum non essent prædicti libertate. *A. actus* enim, modò adsunt, modò absunt, & quando abscent, tum homo careret libero arbitrio. Neq; est *habitus*; hic crebris actionibus acquiritur, & ad unum duntaxat bonum vel malum inclinatur: liberum verò arbitrium naturâ nobis inest. Neq; affectibus accenseri potest, quoniam isti sâpe in ipsis obrepunt; inconsulto sâpè irascimur, itaq; magis illi impediunt eligentem. Habitum neque est *Deo dôb;*, cum toti generi humano commune quid sit. relinquitur ergo, quod sit *potentia*.

Differentia petitur 1. à subjecto, quod est anima rationalis; unde excluduntur animæ potentia vegetativa & sensitiva. quâvis autem hæ, quatenus voluntati & rationi obtemperant, dicantur liberè agere, hoc tamen sit, non activè, sed passivè, non elicite sed imperatè. 2. ab objecto, quod debet esse prædeliberatum, & à ratione monstratum. Ultima definitionis verba innuunt, duas illas libertatis species, sc. libertatem exercitij seu *contradictorij*, & libertatem specificationis seu *contrarietas*. Überiore datæ definitionis logicam resolutionem, in ipsum actum disputationis, bono cum Deo, relinquimus.

### III.

*Liberum Arbitrium est Potentia activa & Particularis.*

Quum satis constet, liberum arbitrium rectè dici posse. Pos

se potentiam, qualis sit illa potentia, restat adhuc inquire? Quod sit *passiva*, sequenti potest probari argumento: Ratio libertatis habet se ad rationem voluntatis, quā realiter non differant. Voluntas autem eo modo potest dici *passiva*, quatenus in se recipit suos actus, & movetur non nihil ab objecto irritante, & svadetur ab Intellectu proponente. Ex hāc ratione affirmare non recusatunt quidam Scholastici, voluntatem potentiam esse quandam *passivam*. Verū, quamvis objectum irritet voluntatem & mens eandem incitet svadendo ad agendum, non tamen effectivē ipsam volitionem producunt; quia sola voluntas activē suos actus producit: Est enim potentia formaliter libera, in cuius potestate est agere & non age-re. Volitio insuper est actio immanens, & natura actionum immaneptum est, ut sine omni contradictione, & efficiantur, & recipientur ab eodem principio.

Quod liberum arbitrium non sit aliqua potentia Universalis, quæ sub se continet omnes animæ sentientis, vegetantis, & intelligentis potentias, facile est intellectu. non enim penes arbitrium nostrum est, crescere, tonitrua audire, frigus sentire, somnia & phantasiaz opera inhibere, memoriæ mandata delere & servare. Respiramus, audiimus etiam; sive velimus sive non. Si in has imperium haberet voluntas, tum omnes forminæ in id incumberent, ut quām formosissimos gignerent liberos: sed multæ gignunt nolentes, volentes non gignunt. Est ergo Particularis, quæ solū spiritibus intelligentibus competit.

I V.

Voluntas & liberum arbitrium, re quidem unum sunt,  
ratione modi distinguntur.

Fatemur quidem, libertatem voluntatis & voluntatem ipsam, sæpè promiscue sumi; aliquid tamen discriminis

non possumus non admittere. Realiter differre negamus; quum voluntas formaliter nihil aliud sit, quam potentia sive facultas in agendo libera. Etsi libertas distingveretur a voluntate, tum a eccentrici inesse accidentis, quod absurdum. Si animae liberum arbitrium dicatur inesse, utique voluntatis non esset propria, sed tertia aliqua facultas, quod itidem absurdum: quod intellectui non inhæreat, docebitur infra. Mantis itaq; nostræ beneficio distinguuntur. Voluntas quasi quoddam compositum, ex suo subiecto & adjuncto, ex suo est quasi materiali & formalis. *Libertas* instar formæ concipitur, & est quasi formalis ratio potentiae; Potentia ipsa, tanquam materiale. Cum enim rem, ut bonam, eligit, voluntas dicitur; cum verò potuisse non eligere vel oppositum eligere, liberum arbitrium dicitur. quod sit, ut vocabulis etiam distinguantur, nec dicatur libertas est voluntas, vel contra: sed libertas est voluntatis vel in voluntate.

v.

*Liberum Arbitrium unum innuit actum.*

Non levis aliqua controversia est inter quosdam authores hac de re. Putant enim nonnulli, nomen arbitrij liberi a duobus actibus esse desumptum; ut ratione judicij arbitrium, & respectu Electionis liberum nominetur: quod ex conjunctione verborum significetur Judicium cum electione, & electio cum Judicio. occasio hujus opinonis inde fluxit, quod arbitrium descendat a verbo arbitrii, quod habent pro solo rationis actu, & pari passu ambulet cum verbis, estimare, judicare, censere, &c. sed ad hoc sufficeret illud, a notatione Etymologicâ, ducuntur argumenta infirma. Licet verò liberum arbitrium connoter Judicium mentis, & in liberâ electione diliberatum rationis Judicium prærequiratur, non tamen arbitrium de Judicio rationis exponitur; quia si vires voluntatis

tatis tum negligantur, sequeretur exinde liberum arbitrii.  
um idem esse, ac libera facultas Judicandi, qvum tamen e  
regione debeat denotare liberam potentiam eligendi. Vox  
enim Arbitrij, non tam actum mentis, qnām voluntatem  
ipsum significat, & pro ipso velle sapissimè ponitur. Ita c  
e-nim apud Authores legitur, suo aut alieno arbitrio vivere,  
in arbitrio alicujus aliquid esse positum, liberum suarum  
rerum arbitrium alicui facere, liberum arbitrium mortis  
permitttere. Cic. qui modi loquendi ad actum voluntatis  
spectant, innuuntq; potentiam quandam agendi. Huc  
accedit, quod nonnulli Authores addant nomen volun  
tatis, nempe liberum voluntatis arbitrium. Si jam arbi  
trium mentis actum notaret, foret contradicatio in adjecto,  
quia mentis actus diceretur voluntatis actus, quod etiam  
absurdum est.

V I.

*In electione liberā Intellectus merē se passivē habet.*

Cum antea dictum sit judicium mentis prærequiri ad li  
beram potentiam eligendi, jam ē re est etiam exponere,  
num intellectus sit liber? & quomodo habeat se ad electi  
ouem?

Ut autem genuinum sensum positæ positionis percipi  
amus, necessarium est, unam alteramve distinctionem  
hic adponere. primum quidem, diligenter notandum est  
discrimen, inter libertatem à coactione, & inter libertatem  
à necessitate; ut &c, inter libertatem contrarietatis seu speci  
ficationis, & contradictionis seu exercitij.

*Libertas à coactione est*, quando voluntas quidem ad ut  
num eligendum est determinata, non tamen cogitur, nec  
externo aliquo motu violentè rapitur, sed sponte suā seu  
interno principio aliquid amplectitur vel rejicit. *Libera  
tas vero à necessitate est*, quā voluntas non necessariō de  
terminatur ad unum actu immutabili, sed pro arbitrio po  
test

est velle aut nolle, & non solum sponte agit, sed ita liberè, ut, positis omnibus ad agendum requisitis, possit non agere. Ita liberi sumus ad virtutis vel voluptatis studium, siquidem alterutrum eligere possimus, & non necessariò unum amplissimur.

Hæc autem libertatis species differunt dupliciter: 1. ratione subjecti; libertas à coactione, homini communis est cum bestijs, quæ multa spontaneo motu agunt non coactæ. Libertas à necessitate competit solum spiritibus intelligentibus, qui non tantum sponte, sed & liberè agunt; quod in bruta animalia non cadit. 2. modo agendi, voluntas, quatenus libera est coactione, dicitur agens naturale: quatenus libera est à necessitate, tum speciali nomine appellatur agens liberum. Unde actiones isto modo nominantur spontaneæ, hoc modo actiones liberæ.

*Libertas* verò contrarietatis seu specificationis est, quâ quis positis omnibus ad agendum requisitis, eodem modo se habentibus, potest contraria agere; sic pro lubitu quis potest amare, odire, ascendere, descendere, &c. *Libertas Exercitij* vel contradictionis est, quâ quis, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere; sic pro lubitu quis potest scribere & non scribere. Fundamentum hujus distinctionis petitur ex naturâ contrariorum in Logicâ; quia illa species libertatis versatur intra terminos contrarios, hæc intra terminos contradictorios.

Hisce prælibatis, facilior via nobis patet ad propositum. Conatur ostendere Bellarminus, Intellectum non esse liberum à coactione sive naturaliter, sed cogi posse ad cogitandum & credendum contra inclinationem. At confundit hoc modo Bellarminus assensum enunciationū cum re enunciata: ratio enim ipsa sæpe ad assensum conclusionis, si præ-

si præmissæ fuerint evidenter veræ, citra coætionem inclinatur, licet extrinseca aliqua coactio non adsit. Ut in hoc negotio liber sit Intellectus, sic contra nullo modo eum esse liberum dicimus à necessitate. Neq; 1. quo ad specificationem, cum ex naturâ suâ determinatus sit, ut non possit, modo præmissæ exactè fuerint propositæ, vero non assentiri: neq; falsum, si bene cognitum, potest adprobare. Ita ut, quo ad nullum actum, intrinsecè & formaliter sit liber; Sed in omnibus tribus operationibus, graviter necessitatis Jugo implicatus tenetur. Non in primâ; sicut enim sensus fertur in suum objectum sensibile, & in operatione suâ dependet ab objecto; E. g. ut visus, positis omnibus ad videndum requisitis necessariò videt suum objectum; Ita Intellectus, positis omnibus ad apprehendendum requisitis, necessariò suum objectum apprehendit, & ab objecto speciem recipit Intelligibilem. Neq; in secundâ; seu quoad Judicium; Si objectum neq; evidenter verum, neq; evidenter falsum est, tunc intellectus suspendit actum, ut nec assentiatur, nec dissentiat, quia naturâ suâ determinatus est ad hoc, ut rei evidenter veræ assentiatur, aut evidenter falsæ dissentiat. Nec in tertia operatione, seu in discursu; si enim præmissæ sint veræ, ut nihil periculi sit in primâ & secundâ operations, tunc Intellectus conclusioni necessariò assentitur. nec potest dissentire.

Neq; 2. quo ad Exercitium, quamvis Intellectus naturâ determinatus sit ad Intelligendum; Sed quod hoc, & non alio tempore, illud & istud intelligat, id unicè ad appetitum, qui in animâ rationali nihil aliud est, quam ipsa voluntas, est referendum. Unde etiam voluntas, juxta quorundam doctorum non postremi nominis sententiam, potest avertere & convertere Intellectum, ad

considerandum rationes pro opposito, permititq; illi tamdiu in hoc vel illo dictamine permanere, quād diu voluntas commodius medium inveniret. Sic eliciens finem bonum præcipit Intellectui considerare illa, quæ necessaria sunt ad illum finem; & voluntas eliciens sibi malum finem, præcipit Intellectui invenire media ad illum malum finem. Hinc itaq; recte Imperium ipsi attribuitur in intellectum, & ob hoc etiam primum movens à nonnullis dicitur voluntas. quā demā, Intellectus nec ad judicandum, nec ad proponendum sese accingit.

Et quoniam, in hoc statu controversiæ, nunquam sati caute & prudenter agatur, nostræ verò ingenij vires, in hâc difficiili materiâ, non patientur singula acu, quod ajunt, tangere; Itaq;, quæ maximè ponderosa sunt, movebimus.

Diximus, Voluntatem in Intellectum imperium habere; quod cum grano salis est accipiendum. Noli singere, intellectum esse mancipium quoddam; cum in ejus potestate sit, ostendere & præscribere voluntati, quid sit faciendum; quo Jure potius de imperio certare cum voluntate videtur. Non veremur tamen, adhuc præstantiores imperij partes, analogiæ loquendo, tribuere voluntati. Ostendere enim & præscribere, quid sit faciendum, quivis potest absq; imperio, & materiale solum legis & imperii illud est: Ast mouere, impellere, & jubendo obligare, & ad agendum compellere, hoc demum est imperatoris & formale imperij; hæc ubi potestas, ibi imperium est. Recte enim javellus Met. q. 4. l. 9. *Voluntas moveat Intellectum, in genere causa efficientia, Imperando ut Intellexat: Intellexus autem moveat voluntatem in genere causa finis, proponendo objectum.*

Sed hic colophonis loco queri potest? quum tam sape di-

pē dictum sit, solam voluntatem esse liberam & indiffe-  
rentem ad opposita: Nullam igitur ne agnoscit indifferentiam  
Intellectus? Nonne voluntatis indifferentia, ortum tra-  
hit ex indifferentia Judicij rationis, siquidem illa præscri-  
bit voluntati suum objectum? ad hoc breviter responderi  
potest. Hæc indifferentia, quod Intellectus moveat vo-  
luntatem, non est in ipso intellectu, sed in ipsis objectis.  
Unde probè distinguendum est inter differentiam objecti-  
vam & extrinsecam, & inter indifferentiam formalem &  
intrinsecam. Intellectus potest quidem diversa objecta  
djudicare, eaque voluntati ut indifferenter eligibilia pro-  
ponere, sed saltem objectivè & extrinsecè. At voluntas,  
quæ unum p̄ altero liberè eligit formaliter & intrinsece,  
sola libera est 1. & quo ad actum specificationis; duo si pro-  
ponantur contraria, virtus & vitium, ad neutrum est deter-  
mina, sed utrumque pro arbitratu potest sequi. 2. quo-ad  
actum Exercitū; licet enim voluntati, virtutem sectari vel  
fugere, vitium sequi vel odire.

## VII.

*Necessarium non est, ut voluntas semper in omnibus suis atti-  
nibus dependeat & determinetur à Judicio Intellectus.*

Quotiescumque terminum intellectus usurpaverimus,  
monitum volumos, hic nos non intelligere intellectum  
Theoreticum seu speculativum, qui occupatur circa ne-  
cessaria & contemplativa: Sed intellectum practicum, qui  
circa m̄ piegū à versatur, eaque non tantum intelligit, sed et-  
iam propter opus aliquod efficiendum intelligit.

Duos involvit actus præsens Thesis; unus est, non de-  
pendere ab intellectu, alter, non determinari ab eodem.

Ratio prioris hæc est; Voluntas, in omni sua actione,  
prærequirit aliquam intellectus cognitionem, quia nihil  
appetere potest, nisi cognitum & propositum; Unde pro-

verbium: Ignoti nulla cupido. Non tamen semper, ad objecti alicujus appetitionem, requiritur deliberatum Judicium Intellectus; sed sufficit interdum nuda apprehensio, sub ratione boni, prout repentina sunt motus voluntatis, qui non exspectant judicium rationis. Talis etiam processus non raro evenit in deliberatis rebus; saepe enim intellectus judicaverit hoc esse appetendum, quod tamen voluntas contrarium eligit; ut patet ex iis, qui contra conscientiam peccant, quod sciunt esse prohibitum, & non committendum: Sed voluntas tamen spernit & respuit Judicium intellectus, quod recte rationi conforme est.

Posterioris ratio; Voluntas necessariò non determinatur à Judicio Intellectus, nec quo ad Exercitium: Licet enim rationis Judicium sit de reali, non tamen pericitatur libertas voluntatis, quia quod Intellectus in praxi Judicat eligendum esse, hoc voluntas pro beneplacito potest suspendere. Nec quo ad speciem actus; quod enim Intellectus proposuit ad eligendum, voluntas contrarium eligere potest. Unde in confessio est, voluntatem non determinari à Judicio Intellectus. Alia enim ratio est de potentibus naturalibus, hæc enim, positis omnibus ad agendum requisitis, necessariò determinantur, ita ut non possint non agere.

Ut in supra positâ Thesi in offenso pede progredi possumus, dicimus, Res, quæ sub volitionem eadunt, esse in duplice differentiâ, easq; accipi, vel ~~accipere~~, vel ~~accipere~~. In illas fertur voluntas, licet non semper ex ratione, tamen nunquam absq; ratione quod plerumq; sit quatuor actibus: Quorum est

i. Objecti cognitio; hinc Philosophi dicunt nihil esse voluntum, quod non prius praecognitum, quia voluntas non potest

potest ferri in rem planè incognitam. ii. cogniti propositiones cognito enim objecto, mox intellectus voluntati illud ipsum proponit. iii. propensi persuasio; examinat illud obiectum intellectus, si habeat convenientiam persuadere; si inconvenientiam, dissuadere conatur. Non tamen confundendum Intellectus persuadentis Judicium cum imperatio; nam adhuc in potestate voluntatis est, pro arbitratu intellectui obedire vel reluctari. Unde intellectus à nobis nullis dicitur Principium directivum, voluntas imperativum & effectivum.

Hic regerere quis potest, Intellectum sèpe Jubere & trahere voluntatem ad volendum, quod libertati contrarii videatur? Svakissima potius Harmonia est inter Intellectum & voluntatem, ita ut unius actio alterius opus non amoveat, sed promoveat; Etiamsi Intellectus, quid agendum sit, moneat, & voluntas monenti obsequatur, non tamen coactè sequitur, sed libertime; quoniam svasio Intellectus non necessitat, sed amicè invitat. Hinc patet, Judicium Intellectus requiri quidem ad actus liberos, verum non ut causa & principium, quod effectivè influat in voluntatem, & producat volitionem, sed saltem ut conditio quædam, & causa sine quâ non.

Ut eo melius sensum hujus tertij actus, qui est eligibilem, percipiamus; siquidem hic maximè viget difficultas; Considerandæ sunt ulterius res eligibles, quæ vel bona, vel mala, vel indifferentes sunt. Res bona & mala, & ex habitu, & sine eodem eliguntur. Illo modo, iudicium intellectus non semper præcedit, sed voluntas ipsa, fine aliqua deliberatione, fertur in objectum. ut intemperans data occasione sine discurso se totum intemperantia dat; hæ enim actiones non tam liberæ, quam necessariae sunt. Hoc modo, Judicium Intellectus præcedit,

quod duplex est: rectum & pravum. Illud non est ipse in se Intellectus, qui saepe errare potest, sed quod recte judicat de rebus, quae ex naturalibus principiis cognoscuntur. Hoc variorum affectuum squalore est per mixtum. Ex horum Judiciorum diversitate, oritur omnis lucta & pugna in homine: saepe enim recta ratio Judicat, quod æquum est, cui tamen contradicit mens corrupta. de quo etiam Ovidius queritur.

*Sed trahit invitam nova vis aliudq; cupido,  
Mens aliud svadet: video meliora probog;,  
deteriora sequor.*

Si res indifferentes sint, hoc est, neque bona neq; mala in suo genere, iterum electio prærequisitum Judicium rationis, quod e simplex vel Compositum. Si simplex, amicam quandam monitionem & invitationem in voluntatem exercet. Si compositum est, unum saltem habet objectum, idq; vel eligendum, vel non eligendum existimat. Unde fit, ut saepe una de re duo Judicia contradictoria esse possint; unum svadet, alterum dissuadet, respectibus tamen diversis. Hi tres actus ad Intellectum referuntur.

Sequitur deniq; ultimus & quartus; qui est Voluntas, sc. Persuasi Electio; Cum aliquid eligible ab intellectu Judicatum fuerit, & voluntas illud ipsum eligit, tunc totis viribus omniq; nisu in id unicè fertur, & se ipsam immediatè moyet, absq; alio aliquo principio interno vel externo. Sic satis dictum de ijs rebus, quæ æquilibriū accipiuntur. Seqvuntur jam, quæ sumuntur aevi æquilibrii. In has enim voluntas absq; deliberato Judicio rationis fertur, quia ipsa voluntas naturā inclinatur, tum ad earum receptionem, tum rejectionem; aliás progressus fieret in infinitum. Si enim Intellectus semper applicatur

retur à voluntate ad intelligendum, tum non intelligerem, nisi prius voluerim, & voluisse non potui, nisi intellectus hoc svalerit, atq; svalere non potuit, nisi voluntas voluerit. Ut autem ab hac ridicula progressione subsistere debeamus, in solâ hominis libertate acquiescendum est sc: hoc & illud sit, quia volumus.

VIII.

*Quasdam actiones esse liberas & simul necessarias,  
libertati non repugnat.*

Variæ sunt necessitatis species, maxime tamen insigne sunt sequentes. 1. necessitas indigentia. 2. coactio-  
nis. 3. violentiæ. 4. Expedientiæ. 5. Immutabilitatis,  
quæ vel absoluta, vel Hypothetica est. Quamvis autem  
necessitas sit multiplex non omnis tamen repugnat liber-  
tati. Novimus quidem, actiones humanas in Ethicis di-  
vidi in necessarias & liberas, cum in voluntatis aëibus di-  
scrimen aliquod inveniri possit, dum quidam includunt  
aut præsupponunt indifferentiam, quidam eam exclu-  
dunt: Illos liberos hos necessarios vocari posse, non in-  
ficiamur. Sed cum hi omnes actus idem habent prin-  
cipium productivum, sc. voluntatem, (cui omnes actiones  
suam originem debent) hæc nihil est aliud, quam po-  
tentia libera, adeo & ut voluntas & ejus libertas, ἄκε βώς  
loquendo, unum sint: Itaq; rectè dicere possum, omne  
voluntarium esse liberum, & vice versa, & si aliquid vo-  
luntarium diceretur, nec unà liberum, oppositum inop-  
posito pronunciaretur. Nec dicere possum, quasdam ac-  
tiones à potentia liberâ, nonnullas à non liberâ prove-  
nire. Hinc facile appareat, libertatem & necessitatem  
non pugnare, sed sæpe in eadem actione concurrere;  
quod antequam plenius dicatur, meminerimus, non o-  
mnium necessitatis specierum indolem libertati conve-  
nire

vire, sed sunt quædam, quæ naturæ ejus adversantur. Ut  
1. *necessitas Physica*, quæ ex ordinatione divinâ semper co-  
dem modo ad unum agit. 2. *Necessitas coactionis*, quâ entia  
rationalia contra voluntatem ad aliquid coguntur. Hæ  
species cum libertate non possunt consistere; sin verò  
alia species assumantur, &c. bene cum libero arbitrio  
possunt consistere, de quod evidens exemplum habe-  
mus in Christo, unde dicitur, oportuit Christum pati,  
quod & voluntariè & necessariò fecit.

Ut hæc melius Intelligentur, considerabimus ipsum  
objectum & actum voluntatis. Illud tantum unum est,  
non numero, sed specie, sc. bonum: Malum, quâ malum,  
voluntas velle nequit. Hic, vel unum respicit objectum  
ut finem ultimum; vel plura, ut media. Si unum, tum  
actus est necessarius, sc. quo ad specificationem, ut ejus  
volitio & expetitio, non quo ad Exercitium: sic nec-  
essariò finis ultimus appetitur, & tamen libere. Sin autem  
plura, datur actus præcedens, datur consequens, præce-  
dens est indifferens; possum enim unum medium velle,  
alterum non velle, unum eligere, alterum non eligere.  
Consequens est necessarius, qvum enim unum prælegi,  
necessariò reliqua negligo, & tamen libere.

IX.

*Ex diversitate status hominis, variatur quoq; liberum  
arbitrium.*

Siquidem conditio mortalium valdè est vertibilis, i-  
taq; secundum eam vertuntur quoq; vires liberi arbitrij.  
proinde breviter singulos status hominis percurremus,  
& quasnam vires habuerit olim, vel nunc habet, vel po-  
stea habebit, examinabimus.

In Statu integratæ liber fuit homo, 1. à coactione,  
quia voluntas nunquam cogi potest. 2. à necessitate, quia  
nec

nec per internam, nec per externam aliquam causam ad strictus fuit, vel ad solum bonum, vel ad solum malum: Deus enim reliquit eum in manu consilii sui Eccl. 15. 14. 3. à servitute peccati, non tamen à Jure seu obligatione; quia datum erat ipsi praeceptum, ne peccaret, itaque ad peccandum non erat devinctus.

In Statu corruptionis; non solum omnem amisit libertatem in Spiritualibus, sed insuper successit effrenis impetus ad malum. In externis autem actionibus fuit quodammodo liber & indifferens.

In statu reparationis; quoamodo per Spiritum sanctum vires arbitrij restaurantur, ut possit nonnulla opera Deo placentia exercere. Ut quamvis Spiritui resistat suis affectibus, Spiritus tamen vincat, & carnem mortificat.

Quod attinet species actionum externarum, sunt illæ, vel imperatæ vel Elicitæ. Si imperatæ, non est liber à Jure, licet sit liber à coactione & necessitate quo ad executionem; quia obstrictus tenetur magistratui obedere, quod non sit furandum. Si autem elicite, liber est homo & à necessitate & à coactione, tam quo ad electionem quam executionem.

In statu glorificationis, perfectam sortimur voluntatis libertatem, liberi erimus ab omni miseriâ & mutabilitate, bonum ita amabimus, ut malum velle non possumus; eoque plus restituerit, quam amissum est in Adamo, qui sic liber erat, ut peccare non posset. Quare dicitur: Homo in primo statu fuit liber; in secundo servus, in tertio liberatus, in quarto liberrimus.

AD JUVENEM VIRUM  
Virtute & eruditione Ornatis, ac Prastantiss.

DN. MAGNUM WIETIUM Smol. Svecum,  
Philosophiae CANDIDATUM doctiss. pro hono-  
ribus in Philosophia summis egregie differentem.

ΠροσΦωνησις

**L**ibera mens homini primum est data numine sancto;  
Technis sed Sathanæ, serva producta fuit:  
Sunt tamen in vita civili rudera lidia,  
Quæ se mortales rite levare solent.  
Hæc verbis signas doctis tu doce Wieti,  
Hinc meritis dabitur laurea pulchra tuis!

Ad posita L. Mq;

ab

AXELIO KEMPE  
LL. Prof. Ord. & Acad.  
Ab. Rectore.

**E**ἰδετε τοῖς Πνευματικοῖς ὁδομίᾳ τῷ ἀνθρώπῳ ἀντεξούστης,  
τοῖς θεοῖς Εἴδουσι μέντοι ὁ ἀνθρώπος ἐπὶ ἀντεξόσιος. Καὶ εἰὰν μὴ  
μάτην ἀπὸ τοφερετημένων ταῦθηναι πειθεῖτε καὶ ζῆτε ζῆν,  
μάτην πᾶσι βλέπετε, μάτην πᾶν ἀθλον καὶ πᾶσαν ἡμετέραν γενήσου-  
ται. Περὶ τέτοιαν ἐνδόξην τοσοχειμόνας τὸν Γῶν παρόντα πεπαιδευμένας  
οὐδὲντες. Εγώ τὴν σοι γενήσομένην ἡμῖν ἐπιτυχῆ τοσούσιοναι.

Ita paucis Pereximio Dn. Candidato,  
inter publicas querelas animo  
quidem tristi, lubens tamen  
meritoq; gratulabatur

ERICUS FALANDER  
Græc. & Heb. L. P. P.

Pergite nunc Charites Heliconis amoenia coletes,  
Et celeres vestro palmarum conferte clienti,  
MAGNO tutanti Musarum castra WIETO!  
Iamq; theses proprias tentat defendere dignè,  
Quas scripsit sophiæ summos aditurus honores,  
Quos meruit virtus, pietas, Doctrina fidesq;  
Hæc igitur lætus nunc accipe præmia tanta,  
Atq; diu felix vivas patriæq; Tibi q;

S V E N O M. Ørelgreen  
Wisingzb. Smol. Reg. Stip.

Quam suaves gemmas protrudat Adonidis hortus,  
Quam dulces fructus ingeniumq; pium.  
Gignat, quotq; suis referat solertia dona,  
Eximia, ut magnos reddat honore suos, (Magnum,  
Dum specto; hocce palam est, cathedram concenders  
Musarum ut capiat præmia digna; caput  
Ut cingat gemmisq; Minerva nitente corolla,  
Jure Magisterii quando egronat eum.  
Gratulor hanc magnam meritamq; labore corollam,  
Quam Tibi, cum doctis, magnus Apollo dabit.  
Hic Dominumq; Deum nunc supplice voce fatigo,  
Numine te sancto raboret atq; beet!  
Insuper, ut possis semper servire Jehovæ,  
Et prodesse simul tum patriæ atq; tuis!

Cognato ac fautori suo hono-  
rissimo adplaudebat  
LAURENTIUS N. WIETIUS  
Wisingzb. Smol.

